


No 12 Ho 1053



1. Dan: Hoffmann ¹⁷¹⁴
 norw. von Dan
 Moderation ph. Re.
 Cantonus. ¹⁷¹⁴
 Job ¹⁷¹⁴
 abn ¹⁷¹⁴ Helm.
 2. Epistola ¹⁷¹⁴
 de causa Victorini
 1561

3. Confessio mit von der
antwer lau büng der theol.
zu jena.

4. Joh. Weigand und Matth.
judicis antwerb auf den
godvunbahr zittel anwider
des gwisser der fünf vranb.

5. Jac. Sodaliti, Jac. Caspali
et Joh. Sturmij Epistola
de diffidij religionis.

6. Parth. Latomi et Joh.
Sturmij Epistola de 1539
diffidio pericaloy Germa-
niae Argent. 1590

7. Joh. Sturmij epistola de
emendatione Ecclesie et
religionis diffidij. 1540

8. Mich. Uranij historiola
70 Christi discipulorum.

9. phil. Melanthonis libellus
de Ecclesie autoritate.
Witt. 1537



10. Varem. Luitboldi
colloquium Hagenense
1540


11. Lamperti Lectura
super Canonem
de consecr. dist. III.
1543

11. Decretum Comitio.
rum Francofurtens.
suum de pace in
causa Religionis
servanda, 1539.



AB: A55 284

EPISTOLA
 THEOLOGORVM
 IENENSIVM AD QVOS
 dam pios fratres de causa
 Victorini.



Anno

 M. D. LXI.

2

EPISTOLA
THEOLOGORVM
LEVENSIUM AD QVOS
dum p[ro]p[ri]os tractat de causa
Victorini



anno
M. D. LXI

EH
O
S
men
scun
ipsu
ci, e
enn
sion
adu
qua
Or
ado
fro
len
sed



4. 117. p 50,
EPISTOLA THE-
OLOGORVM IENEN-

sium ad quosdam pios fratres
de causa Victo-
rini.

S Narratis fratres in Domino cha-
rissimi, ingens scandalum toti
Ecclesiae DEI, innumerisque eius
membris passim dari, veritatem ob-
scurari, errores crescere, & denique
ipsum nomen DEI contumelia affis-
ci, ex tam diutina, nempe integri tri-
ennij protractione, aut etiam oppres-
sione controuersiae cum nostris hic
aduersarijs, & ex horrenda & plus
quam diabolica infamatione nostri.
Omnes enim praesertim corruptelis
addictos sine omni conscientia &
fronte vociferari, nos & suasisse vio-
lentiam & malis artibus ac practicis
sedulo impedire, ne ad vllam legitima-

A ij

mam

3
mam dijudicationem aut trans actionem deueniatur. Apparere etiam, aiunt illi, hinc & spiritum & prauitatem causae ac conscientiae nostrae, qui talibus artibus in alios grassemur, & tam turpiter lucem defugiamus. Quare putatis nos nullo modo bona conscientia diutius tacere posse, praesertim cum aduersarij talia de nobis clament, ac orbi terrarum persuadere conentur, non tantum priuatis sermonibus aut literis, quae vt ille inquit, non erubescunt, sed etiam publicis scriptis, nisi tantorum malorum ac scandalorum autores aut saltem confirmatores esse, nosq; etiam omnipotentis DEI ira, aeternisq; poenis onerare velimus.

Agnoſcimus fratres in Domino charissimi, nos quoq; ista ingentia, horrenda & ineffabilia damna, ex ista dijudicationis longa procrastinatione

stinatione & mora, nostrocq; non factis honesto, imo (proh dolor) nec pio quidem silentio propalam exoriri. Nec credere potestis, quantos & quam acerbos conscientiae morsus nobis ista sollicitudo pepererit, & adhuc dies noctesq; pariat. Sed quis aut quidnam in mora sit, ne fiat legitima dijudicatio, malumus vos ipsos, pro vestra insigni prudentia vel divinare, vel etiam aliunde cognoscere, quam nunc ex nobis, cum quorundam offensione audire.

Illud certe bona conscientia DEum, qui omnium hominum peccata introspicit, & quem fallere nemo potest, testari possumus, & in omnem posteritatem res ipsa testabitur, nobis immerito tanta criminosa, tantorumq; scandalorum ac damnorum causas impingi. Nam nec suasimus vnquam, vlli vim religio-

A iij

nis

nis causa inferri, nec vnquam lucem
defugimus disputationum aut syno-
dorum, vllaue iusta media illustran-
dæ veritatis & pacandæ Ecclesiæ
DEI detrectauimus: Quin potius
inde ab initio vsq; in hodiernam di-
em semper, publice & priuatim, atq;
adeo etiam editis supplicationibus
orauimus, laborauimus ac obsecra-
uimus, vti controuersia vel cum
hisce, vel etiam cum alijs aduersa-
rijs, publice per synodum & dispu-
tationem aut accuratam scrutatio-
nem scripturarum à pluribus mutuo
conferendo in Synodo factam è me-
dio tollerentur, atq; Ecclesia Chri-
sti suæ tranquillitati legitime & salu-
tariter restitueretur.

Quod ipsum hac etiam hora
ab omnibus qui id promouere pos-
sunt, reuerenter vel potius suppli-
citer petimus ac postulamus, licet
nobis

nobis ingentia multorum, præsertim potentum ac sapientum mundi huius odia ac pericula hoc ipsum petendo atq; vrgendo conciliauerimus, quæ quidem veritatis promovendæ & corruptelarum exterminandarum gratia patienter toleramus.

Non enim fas aut æquum coram DEO, ac eius Ecclesia est, aut deniq; quoquam sanæ mentis homine, cum vllas alias controuersias, tum vero præcipue hæc ad gloriam DEI pertinentes, & publicè hæctenus propositas atq; actas, vel vi vel fraude opprimi aut perverti. Sed ex suis proprijs atq; perspicuis legibus aut normis dijudicari, ac postea demum ad executionem tranquillè & maturè perduci necessum est, idq; coram competentibus iudicibus, qui quidem in rebus hæc re-

A iiij

ligionis

ligionis sunt ipsamet Ecclesia DEI,
cum suis sanis & probatis pastoribus.
Neque vero nos vel alijs vel nobis
vnquam vim, fraudemue intentari
in tantis rebus optauimus.

Coeterum hac nostra oportuna
& importuna flagitatione cognitionis
& dijudicationis tandem effectum
est, vt quaedam vtrinq; partim
scripta, partim etiam disputata
& agitata sint, cum hisce aduersarijs,
quæ nos omnia sanè ex animo
optaremus vel cras ab aliqua
piorum & intelligentium doctorum
synodo ex verbo DEI dijudicari.
Aut denique publicè quoque edi ac legi.
Non enim fugit veritas lucem, nec
nos quicquam magis impium aut
perniciosum esse Ecclesiae DEI cen-
semus, quam veritatem, vt Chris-
tus inquit, sub modio occultare, &
scriptiones, actiones aut disputatio-
nes

nes illustrandæ veritatis gratia, DEI
beneficio susceptas ac feliciter per-
actas, perpetuis tenebris obrui ac se-
peliri.

Nec difficile est, institui talem
dijudicationem, si modo serio Chris-
ti, Ecclesiæq; causas agere volumus.
Scriptum enim est, Ecclesiam esse
columnam veritatis, & diserte hoc
præceptum sancitum est, Dic Eccle-
siæ, & mandatum omnibus vt Ec-
clesiam audiant. Scriptum etiam est
de synceris ministris eius, Qui vos
audit, me audit. Conuocentur ergo
Superintendentes eruditiores & ve-
re piij pastores, & deniq; aliqui ex
auditoribus pleni Zelo, spiritu ac
sapientia DEI, vt Apostoli eos de-
scribunt. Adhibeantur & ex vici-
nis Ecclesijs aliqui serij ac synceri
doctores, præsertim qui in rebus du-
ris, controuersijs obscuris & cribra-
tionibus.

tionibus Satanae comprobati sunt. Nam eorum, qui vel modo aiunt modo negant, vel etiam omnes corruptelas palliare, & cum veritate in vnum Samaritanismum confundere conantur, merito nulla ratio in iudicijs Ecclesiae DEI haberi debet. In tali honestissimo confesso, disputationes placide ac ex verbo DEI peragantur. Tandem vero conuocati fratres in timore DEI diligenter & accurate ex verbo DEI omnia dijudicent ac pronuncient.

Verum nec ipsi quidem nosmet de tam longo silentio in tantis criminationibus ac scandalis, ob quorundam hominum respectum tolerato aut admissio prorsus absoluiamus aut excusamus. Oportet enim praecones filij DEI in clara luce ambulare, & vocem suam vt turbam

bam exaltare, vt omnes eorum bona opera cernentes patrem coelestem glorificent, vtz eorum lucerna veritatis in edito loco proposita omnibus praeluceat, quo inoffense in domo DOMINI ambulare possint. Quæ profecto lucerna accendenda est, siue id placeat siue displiceat vlli mortalium, siue inde vita siue mors expectanda sit, siue stet, siue fractus collabatur orbis.

Nec tamen prorsus tacuimus, vt qui cum plurimis alijs optimis ac doctissimis viris, & fidissimis Christi seruis nostras supplicationes de synodo, disputatione & omni legitima controuersiarum Ecclesiae DEI dijudicatione iamdudum publicauimus. Ex quibus, vt nos quidem statuimus, abunde nostra supplex petitio & studium illustrandæ veritatis, dirimendarum controuersiarum
rum

rum & pacandæ Ecclesiæ cerni cog-
noscique potest.

Sed ò nimium vere dictum hoc
prouerbiū est, nullum esse reme-
dium aduersus sycophantæ mor-
sum. Alius enim improbe calum-
niatur, nos nihil dixisse de Iudici-
bus, quinam dñjudicare illam in
synodo litem debeant, cum id satis
liquido accurateq; sit à nobis & alijs
fratribus ibi sæpius demonstratum,
idq; prorsus eodem modo & ratio-
ne, qua eam sententiam hactenus
nostræ Ecclesiæ contra pontificios
exposuerunt & proposuerunt, adeo
vt miremur istos Lynceos censores
in nostra supplicatione legenda tal-
pis fuisse cœciores.

Equidem Adiaphoristæ, cum
plurimum ante & simulassent, &
atrociter minati etiam fuissent no-
bis

his synodum, tandem tamen visa
nostra supplicatione, conspectaque
promptitudine, quod lucem, adiu-
uante & confirmante nos DEO,
non defugiamus, male sibi conscij coe-
perunt dissuadere, & omnibus malis
artibus impedire synodum. Quin &
ληστρικῆν, id est, latronum conuenti-
culum publicis scriptis appellarunt,
quasi vero vel nos magni quidam
bellatores, multisque gladijs instructi-
simus, vt ibi alijs omnibus per vim
oppressis pro libitu quicquid collig-
buerit agere possimus, vel illi etiam
vllum exemplum nostrae immode-
stiae, turbulentiae aut violentiae in
vlla actione aut disputatione profer-
re possint, cum nos eorum importu-
nitatis & improbitatis crassa exempla
proponere possimus, vel solum ex
actione Cosuicensi, Mechelburgensi
& Vuormaciensi.

Verum

Verum nihil perinde male habet istos bonos & pacificos viros, quam quod vident eas regulas agendi in synodo & quaerendi veritatem, à nobis propositas esse, quæ & violentiam & alias multiplices fraudes sophisticas, variorum effugiorum & calumniarum ac malarum practicarum amoliantur. Quare summa impatientia & multiplicibus calumnijs eam partem arrodunt & lacerant.

Alij enim cavillantur, nos pontificio more velle omnia nostro arbitrio constituere, alijsq; veluti leges præscribere & ferre. At nos contra protestati sumus sæpius in ea supplicatione, nos illa sine omni autoritate aut imperio fratribus deliberanda proponere.

Alij criminantur nostras illas regulas

gulas non esse probas, nec inquirenda
dae veritati idoneas, sed in nostrum
compendium aliorumque oppressio-
nem directas, nec tamen ullius spe-
ciale viciū indicare, nedum de-
monstrare possunt. At nos toties in
eodem scripto orauimus & inculca-
uimus, vt alij ostenso nostrarum re-
gularum vitio, meliores ex verbo
DEI commonstrarent.

Quid autem? Anne nobis adiz-
mere volunt omne ius indicandae no-
strae sententiae in Ecclesia DEI, cum
etiam infamibus, quin & ad suppli-
cium ducendis, aut seruis poenae sup-
plicare liceat suaeque petitionis ac vo-
ti modum & formam ac veluti nor-
mas indicare ac circumscribere?
Num ergo isti superciliosi & superbi
pontifices eorumque adultores &
profopoleptae nec tantillum quidem
nobis iuris in Ecclesia DEI conce-
dent?

Quana

Quando vero tandem nostræ
Ecclesiæ aut Doctores, egerunt de
synodo cum pontificijs, sine omni
circumscriptione aut indicatione sy-
nodi? Aut quis non plane Epicure-
us, ausit negocia religionis cuius
conuentui nullis legibus aut regulis
circumscripto concedere, vbi poten-
tior pars vere ληστρικῆς, aut latronum
synodum dare aut efficere imbecillis
ori parti posset?

Proinde liquido apparet, vere
diabolico furore istos calumniatores
aut sycophantas agitari, qui ea etiam
que simplicissime & pientissime pro-
ponuntur adeo rabiose instar furen-
tium canum insectari non verentur.

DEus bone, quis malorum ho-
minum & diabolorum furor est
contra veritatem, eiusque confesso-
res?

res? Quod enim melius, DEO gra-
tius, ac generi humano salutarius
opus est, quam veritatis illustratio,
& errorum, corruptelarumque ex Ec-
clesia DEI expurgatio. Quæ etiam
æquior & tolerabilior actio quam
supplex legitimi iudicij petitio? Et
tamen tanto furore contra hæc impij
inflammati furialibus facibus gra-
santur.

Verum de hisce prolixius in ip-
sis supplicationibus, quas legit, le-
getque Ecclesia Christi vt speramus,
etiam nobis ex hoc impio & ingrato
mundo in æternam vitam transla-
tis, alijsque libellis dicitur. Nos ad pro-
positam materiam, ac vestram, fra-
tres in Domino charissimi, episto-
lam reuertentes, breuiter nostram
hanc scriptionem concludemus.

Verè ergo affirmamus, ac si res
B postu-

postulauerit etiam re ipsa probabimus, & forte etiam pleno, publico scripto ostendemus, nos nunquam ullam violentiam contra hosce aut ullos alios in religione aduersarios quaesuisse aut promouisse, nunquam etiam legitimam cognitionem aut diiudicationem harum aut aliarum controuersiarum impedisse, sed contra potius summis precibus instituisse ac flagitasse semper, ut mature, christianè ac ex verbo DEI, omnia per legitimas synodos ac disputationes diiudicarentur & finirentur. Quod & hodierna die summis precibus ac votis à DEO, eius Ecclesia, Veris Doctoribus, Magistratibus & omnibus hominibus oramus ac flagitamus.

Omnino enim DEI beneficio ij sumus, easque causas agimus, ac sententias tuemur, ut qui parati simus

mus

mus omnibus hominibus præsertim
in legitima cognitione, qualis reli-
gioni ac Ecclesiæ DEI conuenit raz-
tionem reddere, omnibusq; vel ac-
cusatoribus nostris, vel corruptoris-
bus veræ doctrinæ, vel quibuscunq;
demum falsis fratribus in faciem com-
parere, & spirituali gladio verbi
DEI longe penetrantissimo, cau-
sas nostras dirimere ac finire. Modo
omnia ordinate, legitimè & christi-
anè ac ex sacrarum literarum præ-
scripto agantur, tractentur & defi-
niantur.

Quod si omnino aliqui, vel
propalam impij, vel falsi fratres suis
corruptelis aut pessimis actionibus
diffidentes, nos imbecilles homin-
ciones & exigua Iesu Christi orga-
na calumnijs ac mendacijs, quibus
iam orbis terrarum repletus est, vel
vi vel fraude, aut conspiratione qua-

B ij


licunq;

licumq̄ , ita Domino permittente opa
presserint , (quod multos sanguina-
rios , impiorumq̄ collusores moliri
certo scimus) protestamur coram
vobis & alijs charissimis in Domino
fratribus , totaq̄ DEI Ecclesia , ac
vniuerso mundo , nobis atq̄ adeo to-
ti Ecclesiae DEI summam fieri in-
iuriam , prouocamusq̄ ad tribunal
summi illius Iudicis mortuorum ac
viuentium , vbi DEO volente mag-
na constantia ac gaudio , freti opti-
ma causa , quam ex Dei voluntate
agimus , consistemus , aduersus om-
nes qui & nos angustauerint , & ve-
ritatem DEI nefarie corruerunt ,
cum autoribus errorum colluserunt
& Ecclesiam Christi perturbauerunt ,
aut etiam oppresserunt .

Aeternus viuentis DEI filius
destruat opera Satanae , tollat om-
nia scandala , & caput eius sub pedib-
bus

bus nostris conterat, ad gloriam no-
minis sui & Ecclesiae vtilitatem,
Quod omnes pii nobiscum summis
ardentissimisq; precibus perpetuo o-
rabunt, Amen.


D. Simon Musæus,
M. Matthias Flacius Illi,
M. Ioannes Vuigandus,
M. Mattheus Iudex.



EX PSALMO.

VII.

Quod si tale aliquod scelus admisisse uidebor,
Qualia multa in me deputat hostis atrox.
Si qua meis manibus parata iniuria cuiquam
Si mea uerba obsunt, aut mea facta nocent.
Si uolui quenquam qui commoda pacis amaret
Perdere, si damnum reddere cura fuit.
Horū si quid habet mihi quod ferus imputet hostis
Insidias animæ ponat, ut antè, meæ.
Omnibus affligat tormentis ista merentem,
Nec cesset requiem non sinere esse mihi.
Captiuo rapiat fontem de corpore uitam,
Spes & honor uitæ non sit, ut antè, meæ.
Immundo reliquæ iaceant in puluere sortes,
Sit mihi sic merito gloria nulla super.
Nunc age, nunc exurge, irascere, concipe bilem,
Quam nequeat rabidus sustinuisse furor.
Deprime ceruices elatas, sentiat hostis
Colla superborum deprimere esse tuum, &c.





1552 84

AB: 1552 84


ULB Halle 3
003 006 034




SL

232








2

EPISTOLA
THEOLOGORVM
IENENSIVM AD QVOS
dam pios fratres de causa
Victorini.



Anno
M. D. LXI.

2